

rifico nomine indigitant, 1. Reg. VI. Quo loco observat imprimis S. Gregorius ipsa peccata, cum delentur per pénitentiam, fieri quasi aurea, et non modum labem nullam aspergere pénitenti, sed honorem potius: *Dum commissa, inquit, attentius lugemus, in justitiae splendore membra eaurantur.* Deinde, aboleri per pénitentiam infame peccatoris nomen, et mutari in nomen justi honorificum. « Quid est, ait, quod res istae (ani et mures) eodem honestiori nomine exprimuntur, nisi quia peccata, quae pénitentie fletibus tera non sunt, in deformitate sua attentius videnda atque lugenda sunt: ea vero que jam sunt diluta magnis fletibus, non attentius neque in deformitate sua respicienda, sed aestimatione humilitatis aliquando cogitanda: » et paulo post: « Quasi aurea jam vasa conficit (penitentes) quia peccata videt, non quibus se obligatum videat, sed quae omnipotentis Dei laudibus impendat. » Exemplo est Magdalena, de qua canit Ecclesia: « Fit ex lebete phiala, in vas translatas gloriae, ex vase contumeliae. » De eadem scribit S. Chrysostomus, hom. VI. in Matth. « Illa in evangelio meretrix virgines quoque ipsas honestate superavit. » Quod etiam de aliis pénitentibus confirmans B. Petrus Damiani, in epist. IV. de Dei omnipot. cap. III. « Novimus, inquit, utriusque sexus homines, post abominabiles voluptatis illecebras ad tantam religiosae vitae pervenisse munditiam, ut non modo castos atque pudicos quoslibet in sanctitate præcederent, sed et non contempnenda multarum virginum merita superarent. »

Mira igitur et magna nimis est vis pénitentiae. Quare, o peccatores, quicumque et quotcumque estis, nolite ad Pharisæorum murmura attendere, quinimo spretis illis: *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis: accedite ad Christum, et illuminamini, et reformamini et in vasa aurea commutamini.*

CONCIO II.

DAMNA PECCATORUM VENIALIA.

I. Multa bona auferunt. — II. Multa mala inferunt. — III. Ad majora mala disponunt.

THEMA.

Si perdiaerit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et querit diligenter? Luc. XV.

Posset forsitan aliquis vitio vertere huic mulieri nimis curiosam ac pene sordidam industriam, qua vilem unam drachmam tanto requisivit studio, accendit lucernam, et everrit totam domum. Quod enim, pastor abiit prolixo satis

itinere ad requirendam ovem, id quidem jure fecisse videtur; est enim ovis alicuius non spennendi pretii et utile valde animal; at requirere drachmam unam, seu denarium tanto labore et studio non videtur operæ pretium. Cogitare, inquam, hoc aliquis posset: et vero ita sentiunt homines quam plurimi, qui peccata quidem gravia, quibus Dei gratia perditur (*eccl. amissio dippingitur in amissione unius ovis*) magni faciendam et deplorandam existimant: at vero jacturam illius luceri, quod amittitur admisso peccato veniali, (quae per amissionem drachmæ significatur) parvi aut nihil estimant, quasi dicant: Etsi monetam unam perdidisti, adhuc in Dei gratia, adhuc ovis Christi sum: jacturam unius drachmæ, quam perdidisti admittendo peccata levia, non magnopere sentio. His tamen ita sentientibus occurrit et contradixit hodiernum evangelium, quod quidem primo loco et præ omnibus requirendam monet ovem, hoc est, animam culpa lethali per injuriam nostram perditam: post hoc tamen addit non negligendam drachmam, hoc est, animam lapsam culpa veniali, sed ipsam quoque perditam, studiose requirendam. Quod ut majori cura et sollicitudine fiat, videbimus in præsentis jacturæ hujus damna.

I. Bona multa auferunt. Quænam vero illa? Primo, conscientiae tranquillitas et quietis mentis, quæ in munditiae consistit: et hoc si quis sciens et prudens venialia admittat: Talia enim relinquunt post se remorsum in animo, cum accusantes de voluntaria et studiosa malitia: non ita quæ ex debilitate et inconsideratione quasi incauto obrepunt; quia haec habent patrocinium aliquid, quo admissa non nihil elevantur. Comparat Deus fideles suos oculo, imo pupillæ oculi, Deut. XXIII. *Custodivit eos ut pupillam oculi sui:* et Zach. II. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quis autem nescit oculum turbari et vexari usque ad lacrymas vel minimo incidente pulviseulo? Unde Salvianus Massiliensis, lib. I. de provid. et gubern. Dei ait: « Perfectæ et sincerissimæ sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, jussit ab iis cautissime etiam minima vitari, scilicet ut quam pura est pupilla oculi, tam pura esset christianæ hominis vita: et sicut salva intuitus incolumitate pulviseulum in se oculus non reciperet, sic vita nostra labem in se penitus impudicitiae non haberet. » Proverbo dicimus: *Habet et pilus umbram sicut: sic omnino peccatum etiam leve obscurat non nihil et turbat mentis serenitatem,* & tam claro et libero oculo aspicere possit Deum ac seipsum. Quo sensu possumus intelligere, quod sponsus, Cant. IV. ad sponsam dixit: *Vulnerasticor meum soror mea sponsa, in uno crine colli tui.* Neque so-

lum sponsum, sed et sponsam ac multo gravius, vulnerat crinis peccati levis, quia menti ejus radium aliquem cœlestis luminis subtrahit, tenebras alias inducit.

Secundo, favor Dei peculiaris, quem ex parte imminunt, ita ut Deus non eodem benevolentiae aspiciat oculo sponsam suam, sicut prius aspicerat: quod experta est S. Catharina Senensis; quæ ob unicam oculi deflexionem, et animi orando distractionem, a Christo reprehensa ita erubuit, ut potius coram toto mundo confundiri pœoptaret, quam similem reprehensionem iterum sustinere, ut in ejus vita. Nec mirum; si enim sponso vehementer displicet, si ejus sponsa in alium juvenem vel oculos conjiciat cum aliqua blanditiæ: quanto magis displicebit Christo, si ejus sponsa, quam sanguine suo emit, in creaturam aliquam oculos convertat, et ab ipso deflectat? Hinc Isaías, cap. LIX. ait: « Peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digitæ vestri iniquitate. » In quem locum Oleaster explicans ait: « Opera vestra tam majora quæ per manus intelliguntur, quam minora, quæ per digitos, immunda sunt. » Itaque et levia peccata Dei avertunt oculos a nobis.

Tertio, actiones bonæ et studiosæ, quæ peccato veniali vitiantur, adeoque Deo ingratæ atque insipidae, homini vero inutiles fiunt et meritum suum perdunt: quo modo Ecclesiastes, cap. X. ait: *Musæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* Muscas vero illas, levia esset peccata, ut otiosum verbum et similia, discimus a S. Bernardo, in serm. de triplici custodia: « Vilis res musca moriens, inquit, sed exterminat oleum suavitatis. Levis res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat, etc. » Ut ergo musca in cibum aut poculum incidens nauseam gignit homini: ita peccatum veniale opus ex se alioquin bonum vitiat, et molestum Deo efficit, adeoque privat merito, ut testatur S. Gregorius, XXI. moral. cap. IV. « Incrementum meritorum, inquit, quod bonæ vitae studiis augetur, plerumque mali admixtione retrahitur: et bonum, quod animus operando construit, hoc alia penetrando pervertit. » Musca omnia, quibus incident, maculant: ita et veniales lapsus; et quemadmodum scriba, si pilus ejus calamo quantumvis tenuis adhærent, nihil culte exarare potest, sed totum quod scribit, aut deletur, aut inculte scribit: ita et si operi nostro venialis culpa misceatur, maculam ei aspergit, ut parum aut nihil prorsus coram Deo valeat.

Quarto, Dei dona et gracie speciales, quas ob tales lapsus subtrahit Deus suis, alioquin concedendas. Colligimus id ex verbo Domini

ad Petrum recusantem lotionem pedum sibi a Domino suo exhibendam. Cum enim Petrus dixisset: *Non lavabis mihi pedes in æternum,* Dominus respondit ei: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Joan. XIII. Quare negat ei partem? Beatitudinem coelestem? At vero quod Petrus fecit, ex reverentia aliqua, et ad summum ex impudentia quadam veniali fecit. Itane ergo propterea a cœlo excludatur? Quare non improbabiliter Toletus et Palatius existimant, Christum esse locutum de participatione corporis sui, quam negaturus ei erat in sacra cœna, si lotionem non admisisset. Uude habemus Deum merito negare suis gratias sæpe speciales et paterna subsidia, quando ab eis offenditur, licet solum venialiter. Nec mirum; solemus enim et nos, uti patres filii, domini servis subtrahere alias gratias minime eis debitas, si officium suum negligenter obeant, vel in re levi offendant. Hinc ergo aridates in oratione, desolaciones in tribulatione, duritia ad compunctionem, indevitio in sacra communione, in rebus divinis cœcitas, etc. Quia tales eleemosynas apud Deum demeruimus peccatis venialibus.

Quinto, progressus in virtutibus et vice perfectione quem non leviter impediunt, aut saltum retardant. Quemadmodum enim echeneis, exiguis piscis, magnam navim etiam velis in citatam a cursu remoratur, ideo remora dicta, teste Plinio, I. IX. et alii; ita peccata levia progressum in virtute cohident; cum enim ipsa sint imperfectiones, utique a perfectione hominem retrahunt. Eo facit quod Ecclesiastici XIX. dicitur: *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Tametsi enim operarius una potionem non omnia sua dilapidet, sensim tamen dum hodie bibit, et cras, et perendie parum aliquid potando absurmit, nunquam ditescit. Vedit hoc et Plutarchus, in libro cui titulus: Quemadmodum sentias te in virtute crescere, ubi inter alia: « Sicut qui divites se fore desperant, parvos sumptus facere pro nihilo habent, quod nihil magni futurum putant, si parvum parvo adjiciatur: spes autem ad finem proprius accedens simul cum divitiis auget divitiarum amorem; ita et in rebus ad virtutem pertinentibus, qui non multa concedit, neque dicit: Quid tum postea, modo sic, alias melius: sed singulis intentus, ubi vel minimi peccato vitium se insinuans venie locum dare videtur, ægre fert et indignatur: manifestum facit se purum aliquid sibi. jam comparasse, quod inquinari nullo modo velit: faciles enim et negligentes facit, ut Æschylus ait, opinio concepta nihil eorum, quæ habemus, magnum esse. Maceriam aliquam aut sepem conficiens nihil refert obvium quodque lignum aut apidem humi jacentem adhiberi; aut colum-

nam aliquam a monumento aliquo delapsam subjicere, quo modo et homines vitiosi omnia promiseue facta omnes temere actiones congerunt ac coacervant. At qui in virtute exercenda proficiunt, quibus vita velut sacri ac regii aedificii, iactum jam est aureum fundamentum, nihil eorum quae aguntur, temere admittunt: sed velut amissim rationis aptant singula atque concinnant.

II. Multa mala inferunt. Eorum quinque reconsent S. Laurentinus Justinianus, de gradibus perfectionis, cap. 4. « Licet veniale delictum, inquit, se perpetratem aeternæ mortis nequaquam faciat reum, maculat nihilominus animam, fervorem charitatis minuit, potentiam animæ in bonis operibus debilitat, retardat a gloria, et saepe fit peccati mortalis occasio. » Ergo primo, animam commaculant quasi psora quadam, teste S. Augustino, homil. L. in lib. L. homilia rum. « Quamvis, inquit, singula non lefhalii vulnere feriant, sicut homicidium et cætera ejusmodi, tamen omnia simul congregata velut scabies, quo plura sunt, necant, et nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi forma præ filiis hominum, castissimis amplexibus separent, nisi medicamente quotidiane penitentia desecentur. » Porro quanto nobilior est anima corpore, tanto fœdior est macula peccati etiam venialis macula corporis. Eas porro labes abstersurus in discipulis suis Dominus dixit: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes laret*, Joan. XIII. Erant enim illi (proditore excepto) mundi, quod ad gravia peccata attinet, sed veniales habebant sordes, quasi pulverem in pedibus; quas etiam abluere voluit Dominus (ita enim exponunt S. Augustinus et venerab. Beda eum locum) ut nos doceret, abstergendas etiam et cavendas esse pro viribus maculas leviiores: quæ nisi valde fœdarent animam, non demisisset se eo Dei Filius, ut per seipsum eas ablueret. Idecirco enim, ut ait apostolus ad Ephes. V. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vita; ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam*, etc. Jam vero: *Minima neglecta*, inquit S. Bonaventura in prologo speculi discipl. eo turpius moribus maculam ingerunt, quo vitari facilius cognita potuerunt.

Secundo, fervorem charitatis minuunt. Aquæ igni aspersa eum tepefacit, suaque urendi vi despoliat; et cinis carbonibus injectus ita eos sopit, ut et splendorem eorum opprimat, et ardorem reprimat, adeo ut *juxta* eos positi nullum penitus sentiamus calorem. Unde hoc nisi quia aqua igni contraria est? Cinis densus et obscurus, ignis e contra subtilis est et lucidus?

Pari modo peccatum veniale ex affectu erga terrenum aliquid, terræ naturam induit, adeo que charitatem, quæ velut ignis ad Deum et cœlestia tendit, a suo casu retrahit, ab ardore cohobet. Calor corpora reddit levia, frigus gravia et ponderosa: hinc tepor, seu frigus peccati venialis miseram retinet animam, et ad bona opera Dei et proximi dilectionem evolare non sinit, juxta id Sap. IX. *Corpus, quod corruptitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Aegro aut vulneribus confecto si imponas sarcinam, quomodo eam portabit? Quomodo currere poterit? Aquila si affigas baculum paulo graviorem, quomodo in altum volabit? Anima nostra per se gravatur a concupiscentia, cui si insuper affigas terrenos effectus a Deo retrahentes, quomodo in oratione ferrebit? Quomodo lacrymis compunctionis irrigabitur? Quomodo aeterna suavitate irraboritur? Quomodo ad patiendum et moriendum pro Christo inflammabitur?

Tertio, vires animæ debilitant, quia multiplicatis peccanti actibus pravos ei ingenerant habitus, virtutum progressui et sanctitati adversantes. Est aliquis optimus organicen, digitorum celeritate et habitudine ad pulsandum organum præcellentissimus: si assuefaciat se ad stivam et aratrum tenendum, ad fodiendam terram, aut ligna cædenda, videbis paulatim digitos ejus rigentes et stupidos, ignavos, et arti organicæ inhabiles. Idem contingit animæ, quæ peccatis venialibus crebro operam dat; contrahit enim peccandi habitum; unde ad contrarias peccatis virtutes, languidam, ignavam et ineptam sese deprehendit. Confirmari id potest exemplo nequissimi, a fide et religione apostatae, Lutheri, qui cum adhuc monachus esset, nihil utique melius norat, quam crucem in fronte pingere, quia nil monachis consuetus; ubi tamen abjecto cucullo et catholica fide hæresin procudit, et in ejus impietate induruit, erucique valedixit, tandem crucis signum pingere in fronte nescit, quod cum gesticulando efformare rursum aliquando tentaret, nec tamen veteri more et instituto posset, derisorie subintulit. Refert Gretserus de cruce, l. IV. c. XVI. En tibi hæresiarchas prius ad formandam crucem tam expeditos, postea intermissio habitu, utpote ad cantharos et testitudinem tractandam assuefactos, tam rudes et ineptos. Sunt ergo peccata venialia quasi compedes qui affectuum nostrorum pedes rebus infirmis adstrictos tenent, ne ad ardua et cœlestia ferantur.

Quarto, a gloriæ consecutione remorantur et impediunt, donec expientur: *Non enim intrabit in cœlestem Jerusalem aliquid coquinatum*; ait S. Joannes, Apoc. XXI. Exiguum ferrum est vec-

tis, januam tamen occludit, ne domum ingredi possit. « Ex volucrum auècupio disce, inquit S. Ephrem, in lib. de morbo linguæ, quæ parva videntur, non ideo contemnenda. Contingit ut avis in laqueum incidens, minima capiatur unguis. Et alarum vires franguntur ac debilitantur ob unguis vitem, et cum totum sit corpus extra laqueum totum tamen retinetur. Unus igitur inordinatus affectus, qui est quasi pes, uni peccato veniali obstrictus, retinet animam aequum alatam et Dei gratia præditam, ne ad cœlum evelet. Neque hoc dumtaxat sed præterea detrahit et obligat ad pœnam, nequaquam levem aut exiguum, quod inde colligimus, quia saepius in hac vita plexum est morte violenta, subita vel horrenda, ut alibi ostendimus.

Quinto, saepe fiunt occasio peccati mortalis. Primo, propter conscientiam erroneam, ut ait Laurentius Justinianus, qua quis putat grave esse peccatum, quod admittit, cum leve sit; vel e contra cum ex vincibili ignorantia estimat leve id, quod grave est. Itaque contingit eis, quod viatori, qui vel diffidens aquis, quasi nimis profundis a transitu absterretur, vel nimum credens, quasi minime profundis, cum sint profundissimæ, mergitur, juxta id Jerem. XV. *Plaga mea desperabilis facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium*. Secundo, quia qui nimis prorsus est inverecundus in hujusmodi peccatis committendis, meretur a Deo deseriri, ut in graviora prolaboratur. In aulis parvæ incuria vel socordia ita saepe regum animos offendunt, ut ad iram provocent; unde ipsi a servis negligentibus communiter gratiam et benevolentiam suam abstrahunt: quid mirum ergo si id Deus agat, præsertim si frequentius officium servi negligant? Semel tantum et iterum neglexit David in Saulis aula stationem suam, relinquens vacuum in mensa locum suum, et mox concitavit iram regis in se, moxque filius declaratus est, l. Reg. XX. Tametsi enim errores parvi sunt, cogitari tamen debet, magnos esse illos, qui offenduntur. Quis vero major Deo?

III. Ad majora mala disponunt. Quod imprimit indicat Sophar in l. Job. cum Dominum in nobis post vanitatem videre iniquitatem asserit, cap. XI. *Ipse, inquit, novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem nonne considerat?* Quem locum explicans S. Gregorius, XX. moral. cap. IX. *Ex vanitate in iniquitatem ducimur, cum prius per levia delicta deflectimus, ut usu cuncta levigante, nequaquam post committere etiam graviora timemus, etc.* Brevi qui initio assuescant e littore prosilire in aquas ad natandum, paulo post audacieores fiunt, ut de pœnaltate etiam ponte desilire in flumen pro ludo habeant: et qui prius iulos transnatare discunt, postea etiam lata

flumina natando superare velint, donec tandem nimium sibi præsidentes mergantur. Optime S. Dorotheus, doct. III. « Ex his minimis et vere vilibus, inquit, ad magna contemnda delabimur. Cum enim ceepit quis dicere. Quid est, si verbum hoc unicum locutus fuero? Quid est si modicum hoc comedero? Quid si in rem hanc intendero? Ex hoc quid id, quid illud, admittitur mala et amara esca, et sensim incipit quis ac pedetentim in majora et graviora prolabi, etc. » Scimus Davidem ex incauto uno feminæ aspectu non solum in adulterium, sed etiam inde in homicidium esse devolutum: Judam ex parvis furtis in tantam crevisse avaritiam, ut Dominum suum pro modico argento venderet. Exempla alia quotidiana sunt. Unde Job XL. dicitur: *Ante faciem ejus (diaboli) præcessit egestas. Præcessit egestas et cupiditas numerorum in Iuda, secuta est famæ argenteorum, quam ad extremum consecutus est diabolus, totus in Iuda intrans. In occidentalis Indiæ insula, Isabella dicta, inquit Fab. Justinianus, in cap. IV. Tobiæ, vers. XXIII. doc. III. minutissimi insecti genus inter arenas nasci ferunt, quod ningua vocant. Id postquam pedes incedunt invaserit, intrans digitorum unguis et cutem, vix initio sentitur; attamen nisi statim cerebra lotione et scalpro interimatur, quidam in cœte oriuntur folliculi, in quibus maxima lendinum copia ab eo generata ita brevi tempore multiplicatur, ut cuncta excedens nullum aliud deinde remedium relinquit, nisi membra præcisionem aut unctionem. His plane ninguis similium sunt peccata venialia, quæ cum primum hominis invadunt animam, nisi statim abjicantur pœnitentia aqua, vel timore ignium stygiorum, ad gravissimum mortiferæ culpe interitum ducunt. Bene proinde in Psal. CXXXVI. dicitur: Beatus qui timebit et allidet parvulos tuos ad petram. In quem locum S. Augustinus: Qui sunt, inquit parvuli Babylonie? Nascentes malæ cupiditates. Sunt et parva peccata, quæ antequam adolescent in grave aliiquid peccatum, allidunt sunt ad petram. Radix spinæ quæ rhamnus dicitur, tenera et blanda est; at spina ex illa progrediens admodum aspera, ut tangentes se cruentet. Ita scribit S. Augustinus in Ps. LVII. Quid est rhamnus? Spinaram genus est, densissimæ quædam spinæ esse dicuntur. Primo, herba est, et cum herba est, mollis et pulchra est, ibi sunt tamen spinæ postea processuræ. Sic peccata levia per se quidem non adeo multum vulnerant, quia charitatem et gratiam Dei non elidunt: sunt tamen radices, e quibus tandem nascitur spina gravioris peccati, quod potest animam transfigere et a Deo separare.*

Quare ad extremum videat unusquisque, ut

noi modo ovem perditam, sed et drachmam requirat: nec vulpes solum annosas, sed et parvulas capiat; quia ex parvis magna fluit. « Si certare statuisti, ait Isychius presbyter, lib. de temper. et virt. ad Theob. cap. 4. imitandum tibi propone exiguum animalculum, nempe araneam. Illa quidem minutus venatur muscas: quod si tu eodem exemplo, labore quietem animi comparare volueris, irremisse pueros interfice Babylonicos, etc. » Quod si tales muscas in cor tuum incaute admisisti, lacrymis tuis interfice; quomodo Beata Paula Romana levia etiam peccata planxit: *Ut illam gravissimorum criminum crederes ream, inquit S. Hieronymus, in epist. ad Eustochium.*

CONCIO III.

QUARE GAUDEANT ANGELI IN CONVERSIONE PECCATORIS.

I. Propter Deum, in cuius gloriam omnia refundunt. — II. Propter Christum, cui congratulantur captam prædam. — III. Propter semetipsos. — IV. Propter poenitentes. — V. Propter cacodæmones.

THEMA.

Gaudium erit in cœlo coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente. Luc. XV.

Miro fortunæ lusu evectum ad imperatoris supremam dignitatem fuisse Claudiump scribit Suetonius, et Josephus libro, XIX. antiq. capite II. Cum enim post necem Caii Caligulae omnia Romæ turbarentur, et seditionibus plena essent, ita ut nobilissimi quique in periculo vitæ versarentur, inter eos Claudio nobilitate facile primus, sese in abditure contulit locum, ne forte a tumultuantibus militibus deprehensus ad necem raperetur. Sed en, dum in solarium semel prodiit, velo tamen abductum, pedum indicio a milite, Grato nomine, conspectus, apprehensus et productus est, pavore et mortis metu adeo consternatus, ut ad genua ejus procidens, vitam sibi donari precaretur, denique præ timore stare in pedibus nequiret. Sed en, dum is mortem expectat, Cæsar ab eodem milite salutatur, et a sociis in castra defertur, tremens adhuc et dubius inter spem et metum; delatus a militibus imperator conclamatur, et Cæsareis ornamenti induitus per urbem circumducitur. Quod hic Claudio metuit, jure sibi metuere possit quivis peccator, se nimurum queri a Deo ad necem et supplicium velut reum læsæ divinæ majestatis. Sed deponite metum et e contra bono animo astote, quicumque tales rei et peccatores estis. Ecce enim Dei Filium in hodierno evangelio vos undique querentem, non ut laniet et mactet, sed ut errantes redu-

cat, repertos in humeros suos imponat, impositos ad cœlum, in castra angelorum gestet, ibi vos in reges cœli evehat, et in vestri gratiam publicæ lœtitiae solemnitatem in cœlo ss. angelis indicat. Quis haec audiens non excitetur, et ad poenitentiam actorum agendum non estimuletur? Sed forsitan dicent aliqui: Quæ ratio est, cur angeli lœtentur in conversione peccatorum? Audiamus.

I. Gaudent et gratulantur sibi propter Deum, in quem velut in fontem bonorum omnium omnia refundunt. Norunt enim Deum esse amatorem animarum, pro quibus requirendis miserit de cœlo Filium suum: et ex altera parte summe Deum amant, plusquam seipso; hinc gaudent quando vident converti peccatorem, quia vident impleri desiderium Dei sui. Certe Dominus, quando Matthæi XVIII. hanc eamdem de ove perdita et inventa proposuit parabolam, dixissetque gaudere eum, qui inventit ovem suam, subjunxit: *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, ut pereat unus de pusillis istis,* quasi dicat: Sic Deus non vult, ut pereat ipsi vel unus etiam minimus et abjectissimus homo; imo simili modo gaudet de ejus resipiscencia. Quæ res adeo clara est, ut in dubium revocari nequeat. Quis enim pater non gaudet, quando videt filium, in ejus educationem, instructionem, promotionem tot curas et impensas contulit, moribus integerrimum, scientiis exultissimum, victoriis inclytum, reipublicæ utilissimum, et omnibus gratissimum? Vicissim non dolet si videt, omnem suam industriam, spem et laborem in filio periisse? Quod si tamen post hæc filius diceretur se totum immutasse, errores suos agnosceret, et ad voluntatem patris se adeo accommodasse, ut nihil amplius ab eo desiderari posset: nonne maximo gudio perfunderetur pater? Ita sane docet parabola filii prodigi, quem ad frugem conversum summo gaudio exceptit pater. Quid? Nonne gaudent et gloriantur homines, quando sua industria plantarunt sibi arbores frugiferas, videntque eas fructus afferre plurimos, vel gratissimam in æstu umbram dare? Quomodo ergo non placet Domino Deo adeoque gaudium afferat, si videat hominem, propter quem tanta fecit, cœlum et terram, et quæ in eis sunt, creavit; Filium suum in terras misit; angelos ei custodes dedit parentes, præceptores, pædagogos; pastores addidit, ut hæredem regni sui constitueret; si, inquam, videat eum sibi per omnia morigerum, virtutibus exultum, mundi ornamentum adeoque cœlo dignum? Profecto Deus, cum vidit homines plane perversos, tactus dolore cordis intrinsecus delevit homines de terra per diluvium, et cum eis omnia nene animan-

tia, adeoque tam præclaram mundi fabricam plane evertit et confregit: consequens igitur est, ut tantumdem sibi complaceat, si videat homines esse tales, quales ipse querit et desiderat, morem sibi gerentes: tametsi forte prius aliquando sensit sibi rebelles. Jam ergo si Deus gaudet super uno tali homine, ad frugem reducto, hinc necessario consequitur exhilarari omnes angelos totamque cœli aulam; quæ Deo regi suo ita addicta est, ut ipsius bonum habeat pro suo, gaudium ipsius sit gaudium ipsorum; ita ut gaudere nequeant, ipso non gaudente; non possint non lœtari, ipso exultante. Tota exhilaratur familia, cum hilarem videt patremfamilias: ita omnes angeli gaudent gaudente Deo suo super uno poenitente. Quando nuntiatum et evulgatum fuit in aula Pharaonis, venisse fratres Josephi: *Gavisus est Pharo, inquit Scriptura, atque omnis familia ejus, Genesis XLV. versu XVI.* quia nimurum aula regis quasi ejus corpus est; unde exhilaratur exhilarat capite. Sic et aula cœlestis quomodo exultet exultante Rege Deo suo in adventu et reversione poenitentum? Flores, quia omnem suum vigorem a sole accipiunt, cum eo oriente se aperiunt et quasi oriuntur, cum occidente claudunt et quodammodo occidunt: sic per omnia cœlestis aula Deo se conformat, qui ab ejus influxu et gratia tota dependet.

II. Propter Christum Dominum, cui congratulantur captam ab ipso prædam, tot laboribus quæsitam. Atque hoc proprie tendit gaudium angelorum, de quo Dominus in hodierno evangelio ait: *Veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, etc.* In quem locum venerabilis Beda scribit: « Inventa ove domum redit, quia pastor noster reparato homine ad regnum cœleste rediit. Ibi amicos et vicinos invenit, illos scilicet angelorum choros, qui amici ejus sunt, qui voluntatem ejus continuo in sua stabilitate custodiunt. Vicini quoque ejus sunt, quia claritate visionis illius sua assiduitate perfruuntur. » Optime etiam Haymo in eundem locum: *Amicos ac vicinos dicit angelos, amicos tamquam ea diligentes, quæ ille diligit: vicinos tamquam illi propinquos.* Quia enim ss. angeli Christum summo amore diligunt, consequenter etiam cum eo gaudent, cum gaudere ipsum vident, et diligunt eos, quo ipse diligit. *Dicitur, ergo, inquit Sanctus Bernardus, sermone de Sancto Michaele proverbiali verbo: Qui me amat, amat et canem meum: nos vero o beati angeli, catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis.* Qua de causa etiam, ut supra tetigimus, cum vulgariter esset in aula Pharaonis, venisse fratres

III. Propter semetipsos, primo, quia per con-

Josephi, gavisus est Pharaeo et omnis familia ejus, Genesis XLV. quia scilicet Josephum summe adamarunt, ideo et fratres ejus; eorumque adventu summe lœtati sunt. Jam vero gaudium inventæ ovis, suum esse potius indicat Dominus, quam ovis. Propterea: « Notandum, subdit Beda loco citato, quod non dicat: Gratulamini ovi inventæ, sed: Mihi; quia videbilest ejus est gaudium vita nostra, et cum ad cœlum reducimur, solemnitatem lœtitiae illius implemus. » Congaudebunt igitur gaudenti Christo omnes ejus angeli, quia de ejus familia sunt, et quos ille diligit, non possunt non diligere: gaudet agricola, quando ex agris suis multo labore a se clausis copiosam messem colligit: sed et servi ejus, quando domino suo tam uberes fruges demetunt, quia et ipsi suas inde placetas comedunt: gaudet princeps quod tot excursionibus, retium expansionibus, jaculis et clamoribus feram aliquam cepit; quam etiam depingi curat, et ad principes alios transmittit; neque tamen solus, sed et venatores gaudent, quia ex venatione illa statutam suam portionem accipiunt: denique, gaudet dux militiæ, qui multis machinis et molitionibus hostiles aliquam munitionem in suum redegit potest; sed gaudent etiam ministri ejus ceterique milites. Quidni igitur gaudeant cum Christo ss. angeli et totis animis gratulentur ei messem peccatorum, in horreum ejus devectam? Feras tanto sudore captas? hostes edomitos? Angeli, inquam, qui sunt ejus quasi messores, catelli venatorii, milites et ministri; ipsi enim sunt, qui Christi incarnationem, nativitatem, resurrectionem, ingressum denique in cœlum hominibus nuntiarunt: ipsi Christo in deserto esurienti, in monte Oliveti oranti atque agonizanti, et procul dubio alibi etiam frequenter ministrarunt: ipsi Ecclesiæ defensores, nostri custodes, denique in fine mundi velut Christi messores congregabunt electos, et deferent in ejus horreum: congaudent igitur Domino suo, cujus gratia et amore omnia illa præstant summa delectatione. Quare non immerito ipsis applicari potest, quod Isa. VII. dicitur de electis omnibus: *Lætabuntur coram te, sicut qui lœtantur in messe: sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Quod si lœtantur messores, multo magis ipse Dominus, cui illi metunt. Unde Origenes, hom. XXIII. in Num. « Agit festum Christus, inquit, qui pro salute nostra sanguinem fudit, cum videt prodesse, quod se humiliavit, factus obediens usque ad mortem: agit festum Spiritus Sanctus cum his, qui convertantur, videns sibi tempora parari. »